Integerrimo vere Viro; cognatoq; sibi plurimis nominibus honorando, quia notissimè sincero, Pio, docto, generoso, Rhodolpho, vel RAUFIO FREKE *durotrigensi; Dom. de* HANNINGTON; *& unicè jamjam superstiti Filio colendissimi* THOMÆ FREKE *durotrigensis, Equitis aurati, &c.*
Hanc Iconem veracem, GULIELMI FREKE *Fratris fraterrimi, sine fuco, sine figmento delineatam,* D: D: D: P. PISCATOR.

Æternitatem sub hoc Pulvere præstolatur

GULIELMUS FREKE

THOMÆ, Equitis aurati, Filius natu Junior
Qui post, Seniores sibi Fratres quot annorum stadiis sequutus est,
Tot antesignanus, meritorum gradibus præcessit,

Adeò nempe vivacem Genitoris Iconem
Indole suâ Patrizavit,
Ceù vel ipsissimum venerandi *THOMÆ* Genium,
Cum divinis dotibus, induisset.

Ad fælicitatis complementũ, Castissimam duxit *FRANCISCAM*
Nobilissimi & Eruditissimi *THO: CULPEPER*
De vetustissimâ sede ~~Bollingbourne~~, Cantiis, equitis aurati Filiam;
Conjugium sane tam congrue connexum,
Ut ambigendum sit, uter, ab illâ *Copulâ*
Liberior evaserit.

Pro pulcherrimis lineamentis, & Structuræ totius compagine,
Architectrici tantùm Naturæ debuit,
~~Quantum vel altera Naturæ Norma crederetur~~:
Adeò systemate Partium contignatus,
Adeò morum symetriâ perpolitus,
Ut in multis Qui fuerat incomparabilis,
In nonnullis foret superlativus;
Vir, apprimè probus; Frater melior; Maritus optimus.

Et quòd, in sobole formandâ, rarissime Copia
Accuratè transcribitur ad Archetypi similitudinem,
Ideò Coryphæus Ille, quià solus, sine simili vixit,
Ideò solus, sine sobole decessit,
Et Protoplasten sui, cælo transtulit;
Invidis nimirùm Parcis
Ut animadversa vestigia,
Vel Posthumum tot virtutum Volumen,
Posteris Imprimerentur.

Nullius erat odio, Qui fuit amor omnium,
Sic enim malevolentiæ spicula, clypeo reppulit Innocentiæ,
Et simplicitatis candorem, multiplici sagacitate præmunivit,
Ut serpentem recte retulerit, & columbam.

Durotrigena; Natus erat *Shrawtoniæ* magnificâ & perantiquâ
Sede *FREKIADUM*.

Affabrè Facetus, at juxta reservatus;
Intra Humanitatem, severus,
Intra severitatem, perhumanus;
Indulgens omnibus, quam vitiis,
Austerus Nemini, quam sibi.

Privatò plerumque vixit, ut publicò prodesse posset,
Et strictius ambitum sui, compressit,
Ut amorem suis, luculentius exprimeret.

In Re tamen modicâ, gessit animum quam munificum!
Parcè prodigus, temperate liberalis,
Et in domesticis coordinandis
Tam bellus Oeconomus,
Ut raro vixerit suprà fortunæ modum,
Nunquam infrà Familiæ Magnificentiam.

Indotatam quam duxit Religionem, nusquam repudiavit,
Quandoquidem
Tam cæca veterum deliria
Quam superilluminata Neoticorum dogmata
deprecatus,
In Orthodoxâ Fide, quâ firmissimus stetit,
In eâdem Fide, Fortissimus occubuit.

Et nemo certe Mortalitatis exuvias
Alacrius exuit,
Aut Tabernaculo lubentius terrestri valedixit,
Qui jamdudum Moribundus, ad illud cœleste
Contendens, anhelaverat.

In summa; dubium est
An laudabilior erat vitæ, vel in morte liberalior,
Cum tot Propinquos & Amicos supremi Testamenti legatarios
Mirandæ Participes reliquerit munificentiæ.
Et hèic quidem Paradoxæ par Benignitas,
Dum sibi veteres Debitores penitus absolvit,
Et largitione superadditâ, de novo devinxit
Ut Quot, priùs fuerant pro Benevolentiâ condonati,
Tot, denuò ditati, Benignitate donarentur.

Experti loquimur——
Ite superstites, imitemini.

Denatus *Hanningtoniæ* Mannerio, *Wiltoniæ* Viculo,
Circiter Ætatis annum LIII. Salutis æræ *M. D C. L V I I.*